FA 137.604 (1-
i24757779

COLLEGIO
DO SAGRADO CORAÇÃO DE JESUS
LISB.

COLLE
LISBOA

COLLEGIO
DO SAGRADO CORAÇÃO DE JESUS
LISBOA

COLLEGIO
DO SAGRADO CORAÇÃO DE JESUS
LISBOA

ORATIO FUNEBRIS

SERENISSIMI BRASILIAE

PRINCIPIS

JOSEPHI

DESIDERATISSIMI.

HABUIT PORTUCALE,
IN REGALI ORPHANORUM SEMINARIO,
v. Id. Octob. an. CIↃIↃCCLXXXVIII.

JULIUS SALDANNIUS,
Presbyter Portucalensis, Latini Sermonis Professor Publicus.

PORTUCALE,
Ex Typographia Antonii Alvarez Ribeiro;
Anno CIↃIↃCCLXXXVIIII.
Permissu Regiae Curiae Commissionis Generalis pro Examine, et Censura Librorum.

ORATIO FUNEBRIS.

QUO tandem animo, Viri Ampliſſimi, aut qua ſecuritate me dicere oportebit, cum ea nobis ſupervenit calamitas, ad quam merito deplorandam vix ſufficient lacrymae, multo minus oratio! Amiſimus enim, neſcio quo inimico fato, JOSEPHUM Inclytum Principem, cum de eo quae ſumma jam dudum ſpes haberi optimo jure coeperat, in dies erigebamur ut ea feliciter aliquando frueremur. Noſtro magno malo illud Patriae decus interiit, illa pulchritudo, illud ingenium, illa indoles, ille denique tam gratioſiſſimus, omnibuſque amabiliſſimus Juvenis, quem nobis olim fore regnaturum vicinae, longiſſimaeque Nationes nobis non invidere non potuerunt. Qui ſenſus noſter erit, qui Optimarum Artium ſtudia pro virili excolentes ejus ſecundiſſimis Auſpiciis apud nos hunc felicem rerum ſtatum permanſurum ſperabamus, cujus te, Mater Auguſtiſſima, effectricem appellare viventium omnium, atque poſterorum voces debent, in quo cum Virtute copulata ſola regnaret Sapientia!

Quae

Quae iſtis temporibus Natio, quando multo ambitioni plus, callidiſque conſiliis, quam Sapientiae fere tribuitur; quando aemulatio, ne ſordida dicam invidia Principum vel potentiſſimorum animos una occupat; quae natio nunc temporis tam ſibi gratari potuiſſet, quae tam optima ſpe adniti ſe aliquando a Rege Sapiente, Optimis Artibus exculto, Severiorum Doctrinarum ſtudiis imbuto fore regendam, quam Luſitania noſtra? Non eum a tenera illa primarum litterarum aetate illae alliciebant illecebrae, quae plerumque ceteros: non luſus, non venatio, non equitatio, non illa denique, quibus Regii plerique Juvenes generis celſitudine, opibus, famulorumque verecundia licenter abutentes tempus cum futuri regalis officii detrimento terere non erubeſcunt. Quae quanquam ut, ſicuti oportebat, non oderat; eis tamen ea lege operam dabat, dum eum a Scientiarum ſtudio, Ampliſſimisque Viris Optimis Praeceptoribus, quibus ſine intermiſſione uſque uſus, a ſe divelli aegre ſemper, moleſtiſſimeque ferebat, ne minime quidem avocarent.

Principem cerneres adoleſcentem, illis ſaepe poſthabitis oblectamentis, quibus illa aetas relaxari minime dedecet, Rationali Philoſophiae, Mathematicis ſpeculationibus, Morum Scientiae, omni Juris cognitioni, univerſae denique Sapientiae operam dare; rationes inquirere, nonniſi extricatis difficultatibus acquieſcere, abditiſſima quaeque, quae niſi ſumma mentis

mo-

moleſtia non capiuntur , diligentiſſime praeſcrutari , excultum denique , ſumma opera feliciter navata , ſummoque parto , ut recte putabat , emolumento , evadere ! Diſcedant impedimenta quaeque ; non me ſeducant vana oblectamenta ; inanes confabulationes exagitentur : Reipublicae natus ſum ; Luſitaniae totus debeor. In me converſos cerno omnium oculos ; illis adeo primordiis me inſtitui prorſus neceſſe eſt , quibus carere , ut ſuis , quam debeat , felicitatem pariat , non privatus dicam quiſque , ſed ne humillimus quidem , nulliusve nominis omnino poteſt. Mihi uni Regni univerſa dominatio committenda eſt : Quonam Reipublicae pacto ſatisfacere viderer , niſi mens illis erroribus mihi eſſet purgata , quibus oppreſſa mortalis naturae conditio nos ſaepe a veritate aberrare facit , inque abſurdiſſimas deliriationes inducit ?

Per me Optimatum magnitudo , Magiſtratuum auctoritas ea lege tuenda eſt , ne aut ipſorum arrogantia plebs male habeatur , aut haec inſolenter adverſus eos tumeſcere conetur. Per me Reipublicae tranquillitas procuranda ; in fontes animadvertendum ; innocentibus , deſtitutis , miſeriſque proſpiciendum ; et ut ſuum cuique omnino tribuatur. Per me res militaris promovenda , militeſque ad laborem , ac virtutem erigendi : per me ſocordia exterminanda ; liberalique adoleſcentium educationi ſedulo conſulendum : per me Religionis integritas , Sacerdotii vera jura ,

atque auctoritas defendenda ſunt : per me denique leges pro rerum ſtatu , temporumque viciſſitudine aliae ferendae , abrogandae aliae. Quanta haec ſunt , quantumque Sapientiae mihi opus eſt , ut iis accurate ſatisfaciam ! Nihil , nihil omnino ſit , quod ab hoc me curriculo avertat : non luſus , non animi ſupervacuae relaxationes mihi objiciantur ; vivo , ſed non mihi uni vivo. Otio ſane , oblectationibusque non ita nimius ſum , qui me dare dedigner ; dum ea , quae Regem conſtituunt , quae rationem augent , quae ad virtutem viam aperiunt , quae denique eum ſollicitare debent , a quo univerſa Reſpublica gerenda eſt , deſerere non contingat. O' perbeatam Rempublicam, quae tali mente regenda , quaeque Principi tam veritatis , virtutisque diligenti, ſi licuiſſet, obtemperatura foret! O' felices Praeceptores , quibus ſecundiſſimo Dei Numine a Principe partium ſuarum ita memore contigit audiri , & univerſae Luſitaniae , eo quondam regnante , ſummam praeſtitiſſe operam conſcios eſſe !

Quid ? Et quem jam inde hoc Sapientiae divino lumine inſtitutus , atque hoc Patriae amore ita medullitus affectus , quanquam vix expleta adoleſcentia , virum ageret ! Quomodo illa ſcientiarum cognitio illius mentem erigebat ! Quomodo nondum regnantis oculos aperuerat Sapientia , ut omnia domi , forisque proſpiceret, quibus regnans jam inde verſatum eſſe oporteret ! Regum vicinorum conſilia , exterarum

terarum Rerumpublicarum conventus, bellorum ſuſpiciones, motusque, propenſiones hominum, ſuorum mores; quae mens Optimatum, qui ſenſus popularium eſſet; quae Imperii, quaeve Sacerdotii jura, quantum eum ſollicitabant!

Quae ejus humanitas, quique in ſuos ſincerus amor! Vos, vos, inquam, vos appello, qui ad eum amicam nacti occaſionem accedere meruiſtis; vultum illum deſideratiſſimum cernere, et manum deoſculati ab eo de negotiis diligenter interrogari. Vos mihi teſtes eſtote an vos unquam ejus auguſtiſſima atque ſuaviſſima vox illa terrifica majeſtatis affecerit formidine, qua coram exiguae poteſtatis regulo quoquam vel fortiſſimus quiſque afficeretur. Ita natura comparatus erat, atque ita vera Sapientia inſtitutus, ut, ſervata ſemper, incolumique Regiae Magnitudinis reverentia, non poſſet ſe non humaniſſimum praeſtare, et a ſuis toto pectore omnino non diligi. Vos appello, quos ille magnis de ſuo expenſis juvabat, quorumque negotia plus aequo (ut in Urbe, et in Palatio) morari, obque id cum detrimento patria carere, moleſte ſemper ferebat. Quae bonorum ingeniorum cura; ut qui idonei inventi eſſent, litteris, ſapientiaeque vacarent! Quot; quibus res familiatis non ex ſententia ſuppetebat, ut in Academia verſarentur, ille omnia praeſtitit! Quem favorem in Tribunos, Centuriones, univerſum Militem placidiſſimo ſemper ore praeſta-

bat

bat! Qua comitate eos compellabat, *Reique publicae amicos* appellare dignabatur! Quibus verbis ad Virtutem, Patriamque defendendam erigebat! quippe qui accurate perſpiceret nonniſi hoc bene habito; honeſtatoque ordine, ſuſtineri, ſtareque poſſe Rempublicam.

Quod ejus ſtudium ut ille fanaticus error, illae praejudicatae opiniones, quibus non multos abhinc annos nonnulli funeſtiſſime agitati tantum Rempublicam, Religionemque labefactaverunt, ex omnium animis penitus evellerentur! Serpens hypocreſeos monſtrum, quo agitante ſacra ſaepe, profanaque miſta ſunt, atque perturbata; quantum ille adnitebatur ut proſterneretur, ejuſque execrabiles ſectatores funditus deturbarentur! Illud naturale acumen, illud verae Sapientiae ſtudium, illa denique doctiſſimorum Praeceptorum optima converſatio quem alium Principem inſtituere deberent! quive alius ita natura comparatus, ita ſtudiorum obſervantiſſimus evadere potuiſſet!

O' te ſaepe felicem, Auguſtiſſimam Parentem, cui talem, tantisque coeleſtibus cumulatam donis Prolem Superi dare dignati ſunt! Illae ſane gaudeant matres, quae ſummos bellatores, invictiſſimos gentium, ac nationum domitores genuerunt; qui regna, urbes, oppida, exercitus, regiones ſubegerunt, atque devaſtarunt: ſed ita gaudeant, ut inter triumphales filiorum acclamationes gemitus victorum, illumque horridum catenarum ſonitum non audire non poſſint; matrum ejulatu,

tu, uxorum, filiarumque orbatarum planctu paveſcant: ita gaudeant, ut urbes ſolo aequatas, turres, palatia, baſilicas excultiſſimae operae atrociter ſubverſas, campos cadaveribus opertos, flumina humano ſanguine ſcatentia, foedata omnia ab oculis avertere non valeant. Tu vero feliciſſime gaude, cui Filius Dei liberaliſſimo Numine contigit, qui niſi eum nobis fore regnaturum, communi dubio procul piaculo, indigni eſſemus, ſummo Nominis Tui Auguſtiſſimi emolumento Joannis illius Primi Regis quondam noſtri Patriae amorem, Secundi integritatem, pietatem Tertii prae ſe ferret: Providentia vero praeſtantiſſima in gerenda, excolendaque Republica Parentis Tui Auguſtiſſimi Joſephi Primi Deſideratiſſimi in eo renaſci omnino videretur.

O' aurea illa, deſiderataque Emmanuelis Potentiſſimi Regis tempora, quae Indicas gazas, vectigales ſponte ſua Reges Oliſiponem pertraxerunt! Quae ad mare uſque Japonicum, inſulaſque remotiſſimas Luſitanorum inclytum nomen cum victoriis perduxerunt! Parvi jam haec omnia eſſe oporteret, illarumque precioſiſſimarum mercium apud nos decreſcere, imminuique aeſtimationem, quando nobis ſolum Virtus, atque Sapientia ſimul regnarent.

Age vero, amitterentur ſane omnia; exſicarentur in America aureae illae venae, quae divitiarum tantum, atque magnitudinis Luſitano praeſtiterunt Imperio;

rio : regnante nobis Joſepho Prudentiſſimo , atque omnium ſcientiarum lumine inſtituto , aetatis noſtrae beatiſſimae gloria ea feliciſſima tempora antecelleret. Non , non jam barbari , montanique , ut quondam, non remotiſſimi illi reges , omnis civilis ſcientiae aut ex magna parte , aut omnino expertes , et omnia quaelibet admirabundi Luſitanam amicitiam poſtularent , Regique noſtro vectigalia libenter penderent. Jam haec omnia, utpote rudia , gravi non eſſent tantae Magnitudinis argumento.

Quod ſi de Deo non ita male mereremur , ut a nobis Exoptatiſſimum Principem tolleret , Regem futurum ſapientem , virtutisque pleniſſimum , ut eſſe nondum rex occoeperat; o' quantum auctoritatis ejus nomen , quantam rerum commutationem ejus nutus in univerſa Europa , quantum Luſitano Imperio ſplendorem ejus Sapientia adfereret ! Belgarum, atque Anglorum divitiarum fiducia non ita ſe licenter jactaret , Luſitanasque opes pertimeſceret : Gallorum , atque Germanorum potentiſſimi exercitus prudentiam ejus reformidarent ; et in ipſas Luſitaniae ſocias Nationes pedem conferre non auderent : pax haec beatiſſima, in qua conſilio tuo , Auguſtiſſima Parens, judicioque graviſſimo conſervati ſumus , ad poſteros firma , atque intemerata tranſiret. Divitiae domi coaleſcerent ; exercitus foris ſtrenue rem gereret , atque manu etiam non conſerta , conſpectu ſolo perterritos hoſtes fugaret:

ret : bellum procul exagitaretur ; agricultura in dies augeretur , naturaeque theſauri omnino pateſcerent. Navigatio proſperaretur; mariaque jam a priſcis illis temporibus Luſitanarum navium ponderi adſueta ; te Rege , Optime Princeps , vix mihi videntur auri , argentique , ſupellectilisque Indicae , atque Braſilicae pondus immenſum ſuſtentura , gravataque alte ingemitura. Exterarum Gentium vel potentiſſimarum oratores pacem rogaturi , amicitiam , atque ſocietatem enixe poſtulantes apud Joſephi Thronum , ejus Sapientiam , atque Virtutem Regum ſuorum, Rerumque publicarum nomine videremus acclamantes, ac venerabundos. Rex denique futurus noſter , non dico Europae , conterminarumve plagarum orbem , ſed quidquid univerſae terrae incolitur , Maximi ſui Nominis gloria impleret , atque obſtupefaceret.

Sed (proh dolor !) quem ita nobis a Deo comparatum fore regnaturum ſperabamus ; cujus eximiis virtutibus Matris Auguſtiſſimae quondam Cineres, Avique Deſideratiſſimi in ipſo ſepulchro decorandas expectabamus ; quippe qui omnia feliciter expleverit , quae ipſo maxima Nominum ſuorum gloria incepta , atque magna ex parte continuata reliquiſſent ; hic tam expectabilis Princeps , tam Pius , tam Pulcher , tam denique Exoptatus ſubito morbo interiit ; extinctus eſt : eum omnino amiſimus , a quo erant univerſa proſperanda. O' Luſitaniae clariſſimum lumen ab oculis repente ereptum, extinctumque ! Quan-

Quandiu ille vixit, illamque nobis ſui temporis ſummam injiciebat opinionem, atque in dies augebat; qua inſuper laetitia uniuſcujusque noſtrum recreabat animum, qui in eo ſitum cernebamus ſummum Matris Auguſtiſſimae gaudium, atque gloriam! Quomodo in Clariſſimi illius Juvenis, ejus virtutum omnino indubia, conſpectu delectabatur! Quomodo Materni illius pectoris Miſericordia, Pietas, Integritas, omnis denique rerum ſuarum Ratio, ſupremo ſuo aliquando die (quem diem Deus longe procraſtinet) non commutanda, immo ſumma religione a Filio tam ſibi morigero conſervanda videbantur! Quomodo univerſi Regni tranquillitatem, Joſepho ſuo quondam regnante, ob oculos ſemper habens ſibi gratabatur; gentique ſuae exultans gratulabatur! Qua delectatione omnium noſtrum vota, precationes pro Tanti Principis exoptatiſſima incolumitate ſibi audire videbatur! Illius Sapientia, Manſuetudo, Juſtitia, Humanitas, cunctae denique Virtutes tam Eximio Principi congruentes quomodo illud Maternum, Regiumque Pectus implebant; & Auguſtiſſimum Matris Thronum vera gloria decorabant!

Nunc vero quando nobis omnia proſpera fore expectabamus; quando de Matris Auguſtiſſimae laetitia invicem gratulabamur, atque graviſſimo Futuri Regis Judicio ejus omnia ſanctiſſima Conſilia, et Rationes pro noſtra ſumma felicitate conſervandas, et incolumes fore jure expectabamus; omnia repente mutantur, in

acer-

acerbiſſimum luctum gloria noſtra convertitur ; tantae, tamquam gratioſae laetitiae planctus , atque ejulatus ſuccedit. Principem noſtrum repentinus occupat morbus; in horas augeſcit; in aeternam tandem noctem . . . . . (eloquar, an ſileam!) in aeternam tandem noctem illa clauduntur clariſſima Luſitaniae lumina. O' infelix Patriae caſus ! O' Luſitaniae ſpes fallaces! O' cogitationes inanes noſtrae !

Quae vox non ſingultibus , atque mortali quodam torpore impediretur ? Quae mens non conſterneretur , quando Regia tota perſonuit , Urbemque univerſam funeſtiſſimus ille nuntius pervaſit Principem noſtrum extinctum eſſe ! Optimates cerneres ingenitae gravitatis oblitos huc , illuc concurſantes velut amentes ullulare. Nobiles Palatii Feminas citra dignitatis , nobilitatisque modeſtiam in inconditos clamores erumpentes ſaxa ipſa immobilia concutere. Stupent famuli; plebs univerſa animo deficit, ac pene exanimatur: alii coelum obteſtantes ; taciti alii gementes ; univerſi in lacrymas effunduntur: ipſi Regiae parietes, univerſae Urbis domus ſquallere videbantur.

Conjugis Sereniſſimae planctus , Fratris lacrymas acerbiſſimas , Materterae querellas , Matris denique Auguſtiſſimae anxietatem, atque moerorem , quis tam humanitatis expers invenietur , qui ſecurus poſſit audire ! Quis tam ferreus, qui mortis pallore non concidat , ſenſuque privetur Potentiſſimae Reginae tales

que-

queſtus rumpentem animum audiens : Quid me deſeris, Fili ? Aut quid de te male merui , ut Me , Uxorem , Fratrem , ceteros ita tui acerbiſſimo deſiderio relinqueres contabeſcentes ! O' vana meorum opinio , qui Me omnium feliciſſimam praenunciabant Reginam , quae doloribus tantum nata ſunt ! Avos deploravi ; Parentes cariſſimos ; Patruos, Sororem , Conjugem ipſum : ſed eorum grandior aetas , valetudinisque ratio non mihi imprudenti illas excutiere lacrymas : ille praeventus dolor non ita mihi crudeliter pectus effodit. At te, cujus vultu nuper tantum delectabar, quemque ſenectutis meae columen fore in optima ſpe ponebam , repente ſum amiſſura ! Ergo Joſephus meus extinctus eſt ! Ergo eum non ſum amplius viſura ! Ergo ille ſpecioſiſſimus vultus deformatus eſt ! Ergo non regnabit ! Vah ! qui regnum fortunatum appellatis.

Sed eum jam deflere non oportet amiſſum, illiusque caſum lacrymare , cujus Virtutibus ſatis perſpicimus noluiſſe Deum digna praemia diu ceſſare. Sat naturae , ſat materno amori feciſti , Afflicta Parens ; et ſi nihil humanum eſt , quod ad Te conſolandam valeat , ratio ipſa , Religioque conſolentur. In ſinu, complexuque Virtutum , quae numquam ejus latus tegere deſtiterunt , extinctus eſt : nihil niſi labores de regno amiſit , atque vita. Ad Deum evaſit ; cum Deo vivit , qui Virtutibus neſcit non digna praemia largiri. Tibi vero , Luſitaniaeque tuae proſpiciens Joannem Sereniſ-

ſimum

ſimum habes: en ſupereſt Exoptatiſſimus Princeps, a quo feliciter omnia gerenda ſunt, quae de amiſſo Fratre ſperabamus. Ejus Virtutibus, Viri Luſitani, judicioque graviſſimo ipſi nos etiam conſolemur; qui cum naturali quadam proclivitate, tum etiam ſanctiſſima Auguſtiſſimorum Parentum educatione ſemper ſapientiae ſtuduit, ſemperque nobis diligentiſſimus conſuluit.

Sed ut unde exorſa eſt, ibi finiatur oratio; qui Cariſſimum ita Principem deplorantes naturae, humanitatique ſatisfacimus; juſta etiam religionis munera pro virili exequamur. Deum Optimum Maximum enixe precemur, ut condonatis illis, ſine quibus conſtare humana natura non poteſt, levibus noxis, eum ſibi adhaerere propere faciat; poſterorumque memoriae mandemus tantam fuiſſe Principis noſtri Sapientiam, atque Virtutem, ut niſi ſecum in coelo vivere Deus non permiſerit. Dixi.